



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Ob vxorem adulteram Paulus, Eremita factus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

ta est tormentis, vt à multis validissimis viris vix posset teneri. Ab his tormentis, ad aeterna descendit tormenta; punita, non correcta. Ita ostendit, adulteria, etiam in hac vita, Deum iudicem inuenire; si aliud nullum est, quod metuant, tribunal. Sic apparuit, bonis omnia cooperari in bonum; vt enim Confessarij, Concionatores, Exhortatores, virtutes exercent, dum alios reuocant à vitijs; ita & qui adulteria tollunt, possunt martyria mereri. Hoc deniq; pacto ostenditur, quàm iracunda bestia sit mulier impura. Nihil non audet, vt audeat, quod lubet. Si ergo inferni est imago, *habitare cum muliere rixosa & iracunda*; quibus libéret habitare cum ea, quæ venena, quæ vulnera, quæ funera meditatur?

Prou. 21. 19.

VI.

Sed neque cum adultera libet habitare. Qua de causa, etiam, Ecclesiæ autoritate, separantur, qui plus ægri ex perfidia tali capiunt, quàm si cum fera degerent. Itaque inuenti sunt, qui comparis adulterio offensi, toti sese Deo colendo traderent, cum antea essent diuisi. Relicta enim vxore, & rem suam sibi habere iussa, in ordines religiosos intrauerunt; aut aliò se in fugam penetrauerunt, Deo seruituri. *Paulus ille*, inquit Nicephorus, *qui ex virtute simplex est cognominatus*, (innet primos Antonij sectatores fuit.) *Quem ferunt rusticam vitam agentem, & cum formosa coniuge habitantem, posteaquam eam in flagranti crimine cum mæcho concumbentem vidisset, grauius sollicitudinem, adhibito iuramento, coniunctioni eius renunciaffe: eam statim dimissa, ad Antonium peruenisse.* Hic qualis quantuquæ postea fuerit Asceta, totus orbis nouit. Vt talis fieret ex vxoris illi flagitio, occasionem præbuit Deus. De adulterio coniugij, de coniuge Mundi nauseam hausit Eremita, vt mallet, in solitudine, inter leones, quàm in vrbe cum Inpa habitare.

2. Cor. 7. 33.

Nicephor.
Callist. lib. 8.
cap. 40.

VII.

Sur. 21. Maij.

Gangulphus ille, de quo paulò supra memorauimus, cum raptam à coniuge matrimonij fidem, diuino iudicio, comperisset, debitas ab ea pœnas exigere noluit; ne superioris vitæ innocentiam promulgando aut puniendo alieni scelæris nauo obscuraret, ita tamen est eam allocutus. *Optarâm quidem, si fidem seruassess, & legi diuine conuenienter te gessessess, omnia tecum vitæ huius discrimina perpecti, & prospera atque aduersa omnia, vtcunq; seruis subsessess.*